

37



74

APOTHERAPIAM  
EX  
SYNOCHO PVTRIDA  
CONVALESCENTIVM

• • • • • • • • • •  
PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MÉD. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

D. . IANVARII CICIOCCCLXXXV.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM  
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISCEPTABIT

AVCTOR

JOSEPHVS LAVRENTIVS LINK,  
NISSENSIS SILESIUS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO

THEATRUM  
AGRICULTURÆ

IN VARIOUS PARTS  
OF THE WORLD

V I R O

NOBILISSIMO ATQVE PRAECLARISSIMO

ERNESTO HARTMANNO

XENODOCHII EPISCOPALIS

ATQVE ELECTORALIS

QVOD NISSEAE EST CONSTITVTVM

EPHORO ATQVE QVAESTORI FIDELISSIMO

PARENTI SVO OPTIMO INDVL.

GENTISSIMOQVE

SOLEMNE HOC

S T V D I O R V M S V O R V M

S P E C I M E N

TANQVAM

PIETATIS ATQVE VENERATIONIS

PERENNE MONVMENTVM

D. D. D.

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS

JOSEPHVS LAVRENTIVS LINK.



### §. I.

#### *Praemonenda.*

Medicorum clinicorum, tam accurato obser-  
uandi studio, quam ingenua fide excellen-  
tium, nemo ignorat, eos, qui ex putrida synocho  
emergunt, longe aegrius tardiusque conualescere,  
quam istos, qui quamcunque aliam febrim, vel lon-  
gius productam, sunt experti; hinc etiam fieri, ut  
siue ex chronicis, siue ex acutis morbis conualescen-  
tium curatio saepe numero taedii sit plenissima, et  
peculiarem medendi methodum requirat. Quae  
omnia cum et ego ipse, ante annum circiter ex putri  
synocho grauissime decumbens, sim expertus: sta-

A 3

tui,



tui, hanc ipsam feligere materiem, quam sollemini destinarem dissertationi, ex maiorum instituto pro capessendis summis medicorum honoribus nunc foras edendae.

## S. II.

### *Conualecentiae notio.*

Vt autem intelligent lectores, quamnam conualecentiae nomini, (cui senioris aevi vocabulo sit venia,) subiiciamus significationem, haec monebimus. Conualecentiae periodo comprehendimus illud tempus, quod inter morbi finem et perfectam virium restorationem intercedit. Hinc etiam non semper adeo facile est, cum saepe leuis febricula in initio conualecentiae adsit, hoc ipsum determinare tempus: quandoquidem morbi duratio non semper eadem est, et ipsis subinde aegris morbi initium aequum incertum est, ac finis, adeoque conualecentiae exordium latet. Interim tamen errorem clinicum in hocce dubio statu committi non posse, vel exinde liquet, quod morbo notabiliter imminuto iisdem, sicuti prius, propinatis remediis, dosi tamen parciore, per aliquod tempus vti pergit medicus. Hinc optimus indicationum fons ex ipso morbo praegresso determinatur. Oportet autem medicum accurate nosse cuiuslibet morbi decursus terminum: alias dimittuntur



tur aegri pro sanis vix morbo superato; vnde recidivorum morborum, et saepe chronicorum languorum frequentes sunt ortus. Id, quod maxime in sexu sequiori contingere solet, si ordo catameniorum fuerit neglectus: nam in morbis plerumque anomala, parca, immo nulla obseruantur, et per semestre saepe iam desunt. Quam ob rem hoc in casu cautions quaedam sunt adhibendae, ne nos in errores praecipites demus. Quippe oportet medicum duorum triumue mensium rationes ex illis expiscari: an statu periodo recurrent? Sin minus, tandem medela opus est: alias ansa praebetur chlorosi, cachexiae, mensium anomaliis, fluori albo diurno, aliisque malis oriundis. Idem valet in infantibus, si cura confirmatoria, roborantibus peragenda, tempore conualescentiae negligatur. Hic enim neglegens stamina diuersorum morborum, saepe obstruorum, ponit.

### §. III.

#### *Periodus conualescentiae diuersa.*

Diuersitatem quoque intercedere conualescentiae pro diuersa morborum ratione, sic, vt per mentes quandoque apotherapia sit protrahenda, quotidianis medicorum clinicorum obseruationibus edocemur. Atque haec in primis de putridis malignis febribus valent: ex quibus aegrotantes nimis sero

con-



conualescunt, donec pristinus, tam mentis, quam corporis vigor est restitutus. Nam corpus morbo fractum solida debilitat, humorumque keneangiam aut cacochyam inducit: siquidem vniuersum in nulla alia febre vires adeo sunt fractae, ac in synocho putri. Hinc etiam varia conualescentium deprehenduntur symptomata, quae nunc inquiremus.

#### §. IV.

##### *Conualescentiae symptomata.*

Symptomata potiora sunt febricula vespertina, nocturna: sudores nocturni largi; delirium mite, vespertinum et nocturnum; fatuitas et temulentia continua; animi deliquia corpore erecto; linguae conditio praeternaturalis eiusque sordes; pedum crurumque tumores; ciborum desiderium inexpibile; hysteralgia et hypochondriasis neruosa atque a sola eu-metaplesia siue exquisitiori et nimis aucta irritabilitate, oriens; in sexu sequiori, menstrua anomala, tarda, parca, nulla; cacochyria chlororica in feminis; ventriculi functio diuturna laesa. Nunc potiora seorsim sunt exponenda.

#### §. V.

##### *Medendi methodus generatim.*

Dictum est superius, cuilibet morbo individuo peculiarem adhiberi oportere; tempore conualescentiae,

tiae, medelam. Id, quod maxime in synocho putri valet: quia in nulla alia febre tanta virium vitae est iactura. Namque conualescens ex febre inflammatoria simplici decimo quarto die adeo celeriter vires recuperat, ut octo dierum spatio vix animaduertas, illum aegrotasse; nam colore naturali iterum gaudet et iam singula sanitatis signa recepit. Quod neutiquam mireris, quia dicto in morbo vires vitae sunt auctae atque incitatae: e contrario vero in synocho putrida depresso.

### §. VI.

#### *Speciatim febriculae symptomaticae.*

Inter symptomata potiora conualecentiae principatum obtinet febricula illa vespertina cum sudoribus profusis nocturnis, iis ceteroquin similibus, qui ab inducta per febres longas aut liberaliorem phlebotomiam keneangia oriri solent. Per somnum sub stragulis ita incalescunt, ut ter quaterue subinde induita per noctem mutare cogantur, metuantque et aegri, et medicus, ne sint colliquatiui, a fomite purulento superstite indueti. Sed vanus profecto est metus, quia plerumque breui euanscunt, et tantummodo ultimam crisin, quae per diaphoresin contingit, constitunt. Hic est celebris ille status, in quo SYDENHAMVS equitationem adeo extollit. Alia res esset, si hi sudores in multas hebdomades protra-

B

he-



herentur: tunc essent veri colliquatiui, quia bonis humoribus corpus simul priuatur. Alia curationis lex valet, ubi vomica latet: nam hoc in exemplo omne corporis, et maxime pulmonum, exercitium contraindicatur; quia morbum mirum, quantum auger, et citius vitae finem arcessit. Celeberimus SYDENHAMVS testatur: quod phthisici suae ciuitatis incepert equitare, et omnes etiam singulique perierint. Saepe etiam ventriculi repletio huius febriculae causa est; nempe ob maiorem chyli in pulmones irruentis copiam: hinc sedulo monendi sunt aegri, ne vitium diaeteticum committant, sed ut saepius per diem cibos, parca ad haec copia, et euopeitos adsumant; quo notabile tempusculum intercedat, dum digestio absoluitur. Si autem contigerit, ut diaetae vitium commiserint, tunc opus est purgantibus rhabarbarinis, aut etiam, si faburra sit mobilis, emeticis; prout sursum deorsumue cruditates turgent. Hinc vitia diaetae cane peitus et angue sunt vitanda, evacuata autem faburra primae viae probe roborandae, ne adeo facile denuo a cibo paullo largiori offendantur.

### §. VII.

#### *Delirii et fatuitatis.*

Delirium et fatuitatem raro post putridas febres obseruari, sed maxime hystericas et hypochondriacas ob



ob eumetaplesiam nimiam proprium esse, licet non furiosum, per experientiam constat. Hic medicos SYDENHAMVS monet, ne huiusmodi aegrotis medicinam alias solitam faciant, quia sua sponte pedentem cedit, adhibita nempe apta diaeta restaurante, vigoremque confirmante. Nam oritur ex humorum vappiditate spirituumque atonia. Hinc conuenit optime vinum Budense omni bihorio ad duo cochlearia haustum.

### §. VIII.

#### *Temulentiae et animi deliquii.*

Temulentiam et animi deliquium corpore praesertim erecto obseruari, et pro causa ingentem debitatem agnosci, satis inter medicos constat. Quae symptomata optime praecaudentur, si conualescentes vestibus induiti supra lectum decumbant.

### §. IX.

#### *Linguae fardium.*

Linguae conditionem praeter naturalem etiam hic animaduerti oportere, nemo est, qui dubitat; licet non semper obseruetur, et raro contingat, ut materies glutinosa vna cum fardibus ex albo flauescens, tempore conualecentiae, deprehendatur, viribus in primis iam firmatis et restauratis. Hinc multi,



multi, forte minus attenti, labuntur in errorem, ut huiusmodi sordes in lingua obuias pro signo faburrae gastricae habeant, et eandem aut emetico, aut purgante exterminare conentur. Nam his euacuationibus hae sordes, ob ventriculi debilitatem, augentur: quae alioquin tempore, et viribus vitae restauratis, et roborato systemate gastrico sua sponte euanescunt. Nam certa ac indubitata est obseruatio per gastricas euacuationes maiorem fieri nisum ad sistema gastricum, hoc est, ventriculum, oesophagum, intestina, faucesque et linguam hinc sordescere. Quae conditio, ut supra iam monui, pauxillo vini emendari potest.

### §. X.

#### *Pedum oedematosorum.*

Post omnes morbos diuturnos febriles conualescentiae tempore tumores pedum plerumque obseruantur: frequentius tamen post synochum putridam, dum obambulare incipiunt aegri. Quam ob causam ex metu lectum raro deserunt, corporisque exercitium, quod tamen omnium accommodatissimum esset, intermittunt. Tametsi enim hic tumor sub corporis exercitio crescit, periculi tamen expers est: hinc persuadendi sunt aegri, ut motum a minimo, id est pedentem, inchoent, ne simul et semel tumor euanescat. Haud infrequens enim est obseruatio,

uatio, si contrarium committunt conualescentes, fieri saepe numero metastasis ad partes nobiles, aegrosque dein ex apoplexia interire. Quod in nosocomio practico Viennae saepius obseruaui.

### §. XI.

#### *Famis caninae.*

Saluti valdopere insidiosum symptoma et plurimarum recidiuarum scaturigo est fames canina, per decem quatuordecimque dies perdura<sup>n</sup>s: quae nouam faburram in ventriculo denuo collectam denotat. In hoc casu medicum oportet subuenire fugienti hosti rhabarbarinis: nam seducuntur alioquin aegri, ut maiorem ciborum copiam, quam vires ventriculi perferre possunt, assumant. Proinde assumendam ciborum copiam determinari conuenit; iuuat quoque, frequenter per diem, sed parce, non simul et semel, et quidem eupeptos adsumere cibos. Potest quoque dari potus coffea cum lacte ter quaterque per diem, aut etiam infusum corticis peruviani cum lacte.

### §. XII.

#### *Hysteralgiae et hypochondriasis.*

Hysteralgiam et hypochondriasis nervosam ad synochi putridae symptomata referri, et quidem hominibus neruo systemate adeo exquisite sentiente



praeditis, esse quasi proprium, ut a minimo strepitu mirum! quantum iracundia excandescant; a ianua aut fenestra aperta mire sibi timeant, statimque cordis palpitationes experiantur cum pulsibus arteriarum celerrimis et vix numerandis, vrinisque spasticas et largis. Vnde patet terrificum potius, quam periculosum esse symptoma vtrumque: quod optime infuso corticis peruviani frigido, addito syrupo grato aromate praedito, v. c. cinnamom. menthae, et ceter. disspellit potest.

## §. XII.

### *Laeſae ventriculi functionis.*

Ventriculi diu laesa functio memorata adhuc est digna. Dantur enim conualeſcentes, qui pristinum ventriculi robur recuperare nequeunt, sed bradypeſia diu laborant: cuius ratio nulla alia est, quam male curata febris putrida: quod neutiquam in rite et secundum artis regulas bene tractata huius generis febre contingit. Est enim signum colluviae crudae superftitis, et non probe exterminatae. Hinc his incommodis opponuntur amara rhabarbarina, dosi tamen exigua propinata; biles animalium inſpissatae; vinum rubrum modice potum; diaeta eupepta et restaurans, cibique parce, sed frequenter assumti, et aromate praediti; crurum frictiones, ſiccacae

siccae, aromaticae. Porro vestio curru equoque, rusticatio, aërisque renouatio valde hic conueniens est. Plurima enim Viennae me docuerunt obseruata: cephalalgiam deliriumque in synocho putri mirum, quantum esse alleuata, quotiescumque renouatus admireretur aér, sed ad gratam aegri sensationem, non ad Thermometri mensuram. Quid? quod medici clinici, fide summe digni, confirmant: quod, febre putrida rite curata, haud raro simul variae aliorum morborum reliquiae, alias immedicabiles aut saltem summe refractariae, exacete tollantur, immo interdum tota idiosyncrasia immutetur. Quod quidem non soli febri, sed medendi etiam methodo, morbi tempore efficaciori, adscribendum videtur. Atque haec de apotherapia ex synocho putrida conualecentium instituto nostro conuenienter et satis sint dicta.



## THESES

## THESES MISCELLAE.

I.

Somnus in morbi statu est malus et morbosus.

II.

Frigus extremorum, cum sudoribus frigido-viscidis  
et in magnas guttas collectis, non semper est  
signum instantis mortis.

III.

Oculus, oculo maior et velut puluerulentus, pree-  
bet certissimum letalitatis signum.

IV.

Camphora in summa virium vitalium prostratione  
cum frigore extremorum est optimum remedium.

V.

Vroscopia et pulsus saepe medicum fallunt.


VI.

Emesis absque praedispositione, praesertim in ho-  
mine plethorico excitata, semper nocet.

---







APOTHERAPIAM  
EX  
SYNOCHO PVTRIDA  
CONVALESCENTIVM

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER.  
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

D. . IANVARII CICIOCCCLXXXV.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM  
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISCEPTABIT  
AVCTOR  
JOSEPHVS LAURENTIVS LINK,  
NISSENSIS SILESIUS.



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO

